Opuscula

THRONUS
AGNO SZANIAVIANO
CELSISSIMI PRINCIPIS,
Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini,
D. CONSTANTINI FELICIANI SZANIAWSKI
Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DUCIS SEVERIÆ,
inter
Cathedralis Peraugusti Capituli Cracoviensis
Coronas
ERECTUS
&
in Festivo ad Cathedram Cracoviensem Ingressu
ab Vniverso Clero, & populo Diœcesano demisso poplite
ADORATUS.
à
Minima Polona Provincia Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti PAVLI Primi Eremitæ Inclyto suo Nomini & Honori devotissima Stylo Panegyrico
ADORNATUS.
Anno sedentis in Throno carnis nostræ Agni Immaculati DEI Hominis 1721 Die Mensis Maij.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis.

IN PERAUGUSTUM INSIGNE
CELSISSIMI
PRINCIPIS



AGNUS adeſt Cracio ſatis exoptatus Olympo,
Vellere qui proprias condecorabit oves.
Cornua ſi præfert, non eſt metuendus ab inde,
Arma ſui potiùs ſunt vocitanda gregis.
His ſub tutus erit Clerus populuſq; Vavelli,
Ampliùs haud ullus carpet ovile lupus.

CELSISSIME PRINCEPS

Post critica fatorum nubila, post funestas adversantis fortunæ caligines, venit tandem serenior, Principi, Lechici Orbis, Urbi, suus Gloriæ splendor, ad auspicatissimum adventum tuum, Princeps Celsissime, *Antistes desideratissime, Domine Domine Patrone, & Protector Clementissime. Præ-*

*terit astrorum inclementia, hactenus Sarmatico do-
minata Regno, flebiles jam desinunt populorum vices
& voces, quæ ipsis in delubris, lacrymis sparsere de-
os, ac universorum pectora duro, affixere solo. quo-
cunq; oculorum vertatur acies, lætior ubiq; subintrat
facies, quæ tristi olim cælo suberant. novo exuberant
plausu,* & noua jam toto declarant gaudia vultu.
*Quam primùm etenim, superum Providentia, in hoc
Ducali Virtutum & Honoris* Princeps Celsissime
*stetisti fastigio, è vestigio, exulant ærumnæ, cessatq;
procella malorum,* festivis ex tunc cingunt sua tem-
pora lauris, *hilares Cracij Incolæ , plenis exultant
animis, meliori jam sorte beati, quâ Metropolitanis
illuxit Aris,* Præsulis alma dies & luce sacratior
omni. *Ad gloriosissimam Inaugurationem Tuam*
Princeps Celsissime, *triumphales portæ, & amæna
mænia Urbis, vocali inclamant iubilo:* Pascha re-
dit populo, venit Szaniavius Agnus, Agnorum
Princeps, ædificate thronum. *O Fortunatum In-
clytæ Diæcesis Systema, dum optatissimum, domesti-
co in Zodiaco, Præsulei AGNI resplendet Phæno-
menon, faustissimum, Clementioris cæli, omen &
prognosticon. Hoc propitio influente sydere, Phariæ
telluris nunquam metuendæ noctes, obscura haud am-
pliùs tempestas reditura, at innubilus æther, & me-
ridiana, cum placida temperie, claritas, cunctis per-
mansura. Superna illa Beatorum Curia, ter beata
Electorum Metropolis, fulgidissima supremi Regia
cæli, perpetua sinè crepusculo luce coruscans ,* Pleia-
dum

dum Boreæq; , & bruti fulminis expers, *nullo solis aut lunæ indiget ministerio, solius Agni, eminentiùs illustrata mysterio,* (a) Lucerna *quippe*, ejus est Agnus. *Nec mirum, ab æterna indefectibilis lucis Aula, luminaria illa ad inferiores exulare sphæras; Sol etenim, tristem quandoq; Ecclypsim pati novit, & tenebris obducere terras; rursùm*, Noctivago cursu fratri contraria Phæbe, *instabilis gyrat, mutuato lumine splendens; at vero inextingvibilis unquam* Lucerna Agni, *indeficientis plena fulgoris, non maculam, non umbram, nec casum, aut occasum passura, à montibus æternis illuminans universa, in effabili splendore nitens, omni prorsùs nube remota, perpetuâ ac perfectissimâ, comprehensorum mentes, satiat claritate. Patere* Princeps Celsissime, *non assentantem, sed vera fatentem apostrophen. Sicuti Apocalypticus Agnus ille Divinus, totius* Empyrei Lucerna est, *ita quoq; Gentilitius Agnus Tuus, Sarmatici* Imperij, *magnum luminare est, præter namq; Illustrium Natalium, & Magnorum in Republica Celsissimæ Domûs Tuæ Heroum splendorem, quotquot Principales in Te probantur Virtutes, tot rutilantia emicant sydera, quæ Lechicum ornant & illustrant firmamentum. Ecquis rectefactorum Tuorum* Princeps Celsissime, *velut nitentium astrorum, radiantem non videat claritatem (nisi fors, cui mentis aciem obduxit livor edax, & lumen ademit) quot Caliginosas Patriæ dissipasti nebulas, & funestas calamitatum noctes avertisti. Hæsisset diutius atris in nu-*

(a) Apoc: 21.

bibus

bibus Lechiæ polus, suaq; fata luxisset. nisi Tuæ An-
tistes Reverendissime Sapientiæ, jubar illuxisset.
Quoties jam Oneraria Regni, inter decumanos, in-
tempesta nocte, errabunda fluctus, ad perniciosos ma-
lorum scopulos & syrtes, sortes publicas allisisset, ni lu-
cidissima Consiliorũ Tuorum Pharos, naufragãti Po-
loniarũ Fortunæ, per evitatos vortices, & superatas
tumultuosi æqvoris undas, tutam, ad melioris spei
portum semitam monstrasset & iter. Veluti Castor
& Pollux, amica navigantibus meteora, dum trãstris
antennisve mali insident, mitiorẽ Neptuni iram, &
jam affuturam Oceani designant malatiam, sic pla-
nè, quoties Sapientia & Prudentia Tua, Princeps
Celsissime, cælestes faces, geminæ lucidissimæ gem-
mæ, faustiora Castore & Polluce astra, in summa
Reipûblicæ tempestate, tanquam æstuante pelago, ad
transtra clavumq; præsident, toties prosperrimo suc-
cessu in componendis fluctibus, sedandis motibus, in
reddenda Patriæ tranquillitate, plenam afferunt se-
renitatem. Res in comperto est, dum enim ancipi-
tem, spesq; metusq; salutis publicæ jactassent aleam,
imô multorum animis, extremus, amittendæ Patriæ,
ac perituræ libertatis, inesset pavor, nec jam Del-
phici opem ferrent Apollinis aræ, conficiebatq; o-
mnia terror, Tua eloquia Princeps Celsissime ani-
marunt Rempublicam, Tu dubijs secura, dabas ora-
cula rebus. dum Borealis turbo, cum infesta infau-
stâq; turba, toto velut agmine facto, vires virusq; ef-
funderet, ut extremè, innocuas Patriæ percelleret

oras, innocens Agnus Tuus Princeps Celsissime, *diras Arcticorum Leonum iras, & ferales sævientis furoris minas, minimè reformidãs, pro Augusto Regni solio, firmiter stetit, & consilio capitis, contra vim hostium arietando, cruentas domuit feras, & nocivas Archimedum Machinas, prorsus diruit, evertit, superavit. Vere dignus Agnus, qui, pro vellere aureo, super gemmeam torquem, non Hispaniarum tantum, ast universorum gestetur pectore Regum. Dum perscissa animorum armorumq; studia, ac per tacitos cuniculos, in vitam Regni, struebantur insidiæ, Tu stratas doloso cinere technas, sanctiori artificio & officio elusisti, ac inextricabiles, supra Gordium, nodos, velut Macedonis ictu, dissolvendo, Reipublicæ saluti, Majestatis & libertatis juribus, perbellè providisti. Profectò inest tibi* Princeps Celsissime, Celeste ingenium, & rerum prudentia velox. *Iustitiam & æquitatem, Divina attributa, adeo dilexisti, ut Areopagiticum Atheniensium Tribunal longe superaveris, in illo etenim Cæca plerumq; cum tenebris ferebatur sententia, in Tribunali Tuo, clarior meridie ad scrutandam veritatem, palpatur evidentia. Accendat quisquis volet etiam Cleanthis lucernam, præclarissimos tuos exploraturus actus, nulla alia in Te* Princepes Celsissime *reperiet otia, quàm gravissima semper Reipublicæ negotia, quibus salvandis, & cum Regni Honore manutenendis, annos, dies, & totam à tenera ætate, vitam strenue impendisti*, Herculeos solus

 soli-

ſolitus ſuperare labores. *Si Præſuleæ virtutes Tuæ* Princeps Celſiſſime, *Cælicolis notæ, penſandæ forent, quo pietatis ardore, intaminatæ ſanctimoniâ vitæ, in egenos Clemētia & liberalitate, ſollicita Romano Catholicæ Eccleſiæ defenſione, Orthodoxæ Religionis propagatione, in augendo cultu Divino, ſtabilienda morū diſciplina, Apoſtolico præluces zelo, re & facto, Adalbertos Staniſlaos, Lechica Præſulum ſydera, Borromæos, Saleſios, & reliquos Eccleſiaſtici cæli ſoles, tam propè imitaris, ut in illis Te* Princeps Celſiſſime, *aut certè Illos in Te vivere quiſq; arbitretur. Hinc juremerito Antiſtes Clementiſſime Ducalem & Pontificium poſſediſti Thronum, non aliena ope, aut emendicato ſubſidio, at juſtitiæ gradibus, ac neceſſario Magnorum meritorum Tuorum ſuffragio, impleſti etenim,* & meritis cælum, & totum virtutibus Orbem. *Attigiſti ſublime culmen Honoris, apprendiſti Ducales Mitras, & Infulatos Faſces, non ambitionis faſtu, aut prece, ſed excelſarum Virtutum pretio, & rectefactorum tuorum Dignitate; illegitimum reputans honorem, quem virtus non pareret; quapropter laus Tua* Princeps Celſiſſime, *ſumma eſt, virtuti omnia, fortunæ nihil unquam debuiſſe; vera enim Principum dignitas, non æſtimatur à fortunæ indulgentia, ſed à virtutis decore, & conſilij prudentia. Sola virtus aurea clavis eſt, quæ ad conclave Templumq; Honoris, de condigno novit oſtia reſerare. Nec decuit proinde, nec licuit unquam, præclariſſimam lu-*

cernam

cernam Gentilitij Agni Tui Princeps Celsissime, *Europeo radiantem Orbi, sub modio abscondi, ast in supremo collocari gradu, fas semper erat, ut luceat universis, & per cuncta Regni clymata fulgeat perpetuo*, Præsuleum Nomen, quod nec ventura silebunt lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas. *Clementinus Agnus es* Princeps Celsissime, *hinc ex Coronatorio Regum, & Cathedrali Monte Vavelio, aquas vitæ, beneficiorum torrentes, & Gratiarum fluenta, non vistulâ solum, sed Balthico uberiora mari, in universæ Poloniæ campos derivabis. Celsissima Domus Tua* Princeps Celsissime *officina est Munificentiæ, quâ, pupillorum, Ascleteriorum, imo Regni totius subvenis indigentiæ; optimè gnarus, tum, Principem felicissimum, & verè Felicianum esse, dum fortunæ suæ largitate alios felicitat. Affluent jam gaudijs Sarmatici populi, festos faustosq; habituri dies,* (b) qvoniam Agnus, qvi in medio Throni est, reget illos, & deducet eos ad fontes vitæ. *Emeritæ virtutis Nominisq; Tui* Princeps Celsissime, *non hic solummodo stetit Dignitas, celsior Te manet magnorum meta laborum,* Nec solum, Tibi Præsulæi tribuuntur Honores, Agnum Purpureo vellere Roma teget. *Illustrasti Sapientiæ Tuæ sole Lechicum solum, in Romano quoq; Purpuratorum Patrum, Orbisq; Capitolio, Lucernam Agni Tui resplendere necessum est, ut sic eminentius, cum Gloria Gentis, claritatis suæ radios, oras diffundat in omnes. Ascende igitur felici*

(b) Apocal: 7.

passu, quo Tua Te Virtus vocat, Princeps Celsissime, Scande super titulos & avitæ laudis honores. *Dij Te diu incolumem servent, & præconcepta populorum vota ac omina, amplissimis coronent effectibus. Sub* Constantino Magno Præsule & Duce, *Inclyta Regni Metropolis, supra Bizantium, incolis populosior, opibus auctior, fide sacratior, fiet Constantinopolis; à fulgore SZANIAVIANÆ Tiaræ, illustriùs Diæcesanæ splendescent Aræ, universi montes & colles Cracij, exultabunt ut arietes; purpurato enim SZANIAVII dominante AGNO, heterodoxæ hydræ, trucesq; Leones, procul à fidelium abacti grege,* atra petent antra, & repetent spelæa ferarum; *Orthodoxa vero, triumphans de Hostibus Ecclesia, pro salute Præsulei Agni,* Agnum *mysticum, Hostiam pacificam, Regum rerumq; Domino, offeret in perpetuum. Hæc dum lætabunda Polonia, affert præconia,* dum excipit, & meritas reddit Tibi Curia voces, *dum Senatus populusq; Almæ Poloniarum Metropolis, ad fortunatissimum ingressum Tuum* Princeps Celsissime, *Prætorianas Portas splendidè ornatas, circumdatos Lauro Colossos & triumphales extruit arcus, Diæcesanus quoq; Mons Clarus Częstochoviensis, submissum prosternens verticem, Gentilitio Ducali* Agno *Tuo, præsentem Thronum ex se quidem incultum & humilem, ast aviti Honoris Tui Purpurâ, ac tuismet* Princeps Celsissime, *præclaris virtutibus, velut stellantibus gemmis, aureisq; distinctum monilibus,*

cum

cum fidelissimo dicat & offert homagio. Ascendisti jam cum plausu superum, cum iubilo Orbis & Urbis Principem Cathedram Tuam Antistes Celsissime, hodie iterum non leve gloriosissimæ Inaugurationis Tuæ addis momentum, dum bis Purpurati, magni olim Prædecessoris Tui Divinissimi Stanislai, invisere festinas monumentum, Domus hæc, exigua est Rupella, *sed Glorioso Laureati Præsulis perbella triumpho; Sanguinolentæ area est victoriæ, quâ Audacis Principis fregit bella, magno olim fortior Constantino, Martyr Constantissimus. Subintra* Princeps Celsissimæ, *pretiosiori, quam Tyrio murice, tinctas cruore, Sacri Pontificis ædes, velut triumphalem arcum, & immortalis Gloriæ Trophæum, in quo Celsissima Cathedra Tua, utpote Titulari, & Tutelari Indigete sacerrimo, supra Obeliscos, & Memphitica Ægyptiorum sepulchra Regum, æternùm gloriatur. En fideles clientes Rupellani, Divo Præsuleæ Aræ, Capellani,* in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, (c) *læti obviam procedentes, ac ad plantas, novi Antistitis sui, Magni Ducis & Hospitis supplices procidentes, portas & ostia pandunt, ut etiam ex hac, sacro purpurata Sangvine, Cathedra, voce & vice Sanctissimi olim Pastoris antecedanei Tui* Princeps Celsissime, *Ecclesiæ, gregi fidelium congregato, statibus Regni, & populo benedicas universo. Clarum-Montem Częstochoviensem Thaumaturgum Sacrarium, Matris*

(c) Apoc. 7.

Gloriosissimæ, quæ Agnum Dei immaculata genuit, Constantissimum in Obsequio Patriæ propugnaculum, sicuti hactenus Tuis Princeps Celsissime *Gratijs, favore, & Beneficentijs, clarificasti, ita nunc Diæcesanum jam oratorium Tuum, firmiori Protectione. & locupletiori Benedictione, fove, salva, & tuere. Marianum id Augustal, Hortus conclusus est, amænissimis Gratiarum abundans pratis, emitte Dominatorem Agnum Tuum, ac permitte, ut inter Candidissima Parthenij Amoris pascatur Lilia; Mons ille victoriæ, Crucis Sanctissimæ gaudet titulo, Constantinianæ in eo Crucis, erige vexillum*, Princeps Celsissime, *ut in hoc salutifero signo, inimicas Religionis & Regionis hostium Phalanges, vincas, dissipes, & detriumphes, ad immortale Inclytæ Domus & Heroicarū virtutum Tuarum Mnemosynon. Vive* Princeps Celsissime, *& sæculorum supervive lustra*, incolumis semper multos Dominare per annos, *Te enim Principe salvo, publica vivet salus, Regni firmabitur Thronus Gloriæ, crescet, & ampliabitur Patriæ prosperitas, Iustitia & pax in terris nostris perpetuum fient incolatum. Ita cum pusillo grege, Pastori optimo exoptat, sic cum Throno præsenti, ad Altissimi supplicans Thronum, continuis vovet & precatur Officijs,*

CELSITVDINIS VESTRÆ.

Submisissima & mancipatissima.

EreMVs DeIparæ VIrgInIs CzęstoChoVIensIs.

PANEGYRICUS.

Sedenti in Throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.
Apocal. 5. vers. 13.

A
TE Solo Præsulum Sole
PRINCEPS CELSISSIME
ordimur Panegyrim,
quia solus:
Implesti famâ, meritis, virtutibus orbem.
Majorum Tuorum non accendimus Ceras,
sinimus in Mauzolæis,
Hectoris exuvias Priamiq; quiescere Manes, *Apocal. 21. v. 23*
cùm Tuus Domesticus AGNUS *sit lucerna.*
Lucet DEO imitanda sæculis pietate,
Lucet Ecclesiæ Orthodoxæ zelo irrefragabili,
Lucet plusqvàm meridiano splendore
affectu in Patriam insuperabili.
parùm est,
ex fumosis Aboriginum bustis
metiri gloriam Successorum,
& pretiosis Antenatorum rectefactis
mercari encomia,
obryzo propriarum virtutum ditescere pulchrum.
Quid juvat,
Aurelium habere Genitorem?

Si
ſerreum ſive Ferrerium ob aſperam indolem
ſæcula nominarint.
ex
reſolutis Antenatorum cineribus
alij vitæ & Honoris clepſydras conficiunt,
ut ſui ad Majora aſcensûs menſurent inſtantia,
Tu ſinè his
PRINCEPS CELSISSIME
punctum immortalis Gloriæ
in puncto tetigiſti.
ex
atomis Majorum cupiunt nonnulli grandeſcere in tomos,
Tu tomos laudibus imples,
& ita rectefactorum ſerie oneras faſtos,
ut
in enarrandis deſudare debeant præla,
& nova ſecum concitare prælia,
quibus nam debearis.
Hæc in Te Encomiorum maxima,
quod ſis epitome Majorum,
compendium Antenatorum glorioſum.
Plurimi cum Boleslao Chabri
effigies Parentum ſuorum portant,
Sed tantùm in pectore,
TU PRINCEPS CELSISSIME
Sic æternaturis virtutibus
expreſſiſti Prædeceſſorum Tuorum lineamenta,
ut Te viſo,
clariſſimâ non ænigmatica viſione videantur & illi.
ex Ungve noſſe leonem ſatis eſt;
dum ungvem Tuorum noſcimus Aboriginum,
ex hoc

ex hoc ungve
Te PRINCEPS CELSISSIME
Generosissimum judicamus Leonem,
qui pro publica afflictæ Patriæ securitate,
oculis dormiendo apertis,
insomnes duxisti noctes,
ut cæteris liceret
lassis requiescere membris.
JUNOSZA CELSISSIMI PRINCIPIS
Ovidianas ad amussim imitatur oves,
de quibus sic energicè canit:
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
ovis animal mansvetissimum est;
vellus pro pannis, intestina pro fidibus,
cutem propriam pro tympanis subministrat.
Mysterium auscultate Sarmatæ.
Nonnè hucusq; nuda mansisset Polonia,
nisi
plusquàm Phryxio AGNI SZANIAVIANI *vellere*
paludata eidem Toga confecta fuisset:
& ubi tunc
multis fidibus ludebatur unica fides Majestati,
viscera obtulit in aureas chordas,
ut sic
discordes Civium Patriæ accordaret animos,
vires suas, opes, & fortunam
evisceravit penitùs
ut in Principum vicinorum auribus,
benè defactò fama audiret Poloniæ.
cutem propriam
CELSISSIMUS SZANIAVIANUS AGNUS
in resonantia Marti Lechico dedit Tympana,
nihil sub cute reservans

quod

quod in redemptionem Captivæ Lechiadum
libertatis non cessisset.
Physicorum assertum est,
dum lupinæ in Musicis instrumentis pulsantur fides,
agninæ rumpantur est necesse.
hîc contrarium evenit,
dum Agninæ personant
CELSISSIMI PRINCIPIS SZANIAVII chordæ,
rumpuntur lupinæ ex adverso:
ita
ut nullus reperiatur Beniamin lupus rapax,
qui sit mane diripiens,
& vespere dividens prædam;
quia
dum Lechicus Titan
SZANIAVIUM ingrederetur Arietem,
vespere & mane factus est dies unus.
Multûm fecit pijssimæ memoriæ
JLLUSTRISSIMUS
STANISLAUS DĄMBSKI,
utriusq; Cathedræ
AGNI SZANIAVIANI
Antecessor meritissimus,
qui in *Gentilitia Pinu sua* orbatæ Poloniæ
plusquam in Porphyrij Arbore
Supremum Genus felicissimè nunc Regnantem
SERENISSIMUM AUGUSTUM II.
demonstravit,
& divisum Regio diademate colligavit orbem.
plus egit SZANIAVIUS AGNUS,
qui divisam Rempublicam

& à le-

& à legitimè coronato avulsam Capite
ac proinde acephalam
Suo Naturali restituit Capiti, & univit.
Non frustra succedis in Cathedram
dismembrati in frusta Divinissimi Præsulis STANISLAI
PRINCEPS CELSISSIME,
Sicut enim Virtute altissimi
dissecta & disjecta membra illius
in unum coaluerunt corpus,
ita congenitâ SZANIAVII dexteritate,
mysticum Reipublicæ corpus
intestinis odijs dismembratum
concrevit in unum.
Fabulosum est,
quòd Prometheus furto sublatâ â celesti Titane faculâ
inanimatam Memnonis animaverit statuam;
Sanctiorem Te Prometheum
PRINCEPS CELSISSIME
afflicta veneratur Polonia,
cui
diaphana Consiliorum luce
vitam inspirasti & omnia,
& unius labij, unius oris,
Paludatos Sarmatiæ ordines effecisti.
Ab ore Gallicani Herculis
aurei evolvebantur torqves,
quibus animos ligabat Auditorum.
Lingva tua gladius acutus
PRINCEPS CELSISSIME
qvâ unita in perniciem Patriæ dissecuisti corda,
verba oris Tui auratæ fuêre catenæ,

 quibus

quibus disunita in unum colligasti,
factus animorum unio, & armorum.
Miraculum Orbis Lechiadum nuncupari deberes,
qui præter omnium expectationem id fecisti,
quod minimè sperabatur.
In
Sacro Baptismatis Fonte
CONSTANTINI & FELICIANI
Sortitus Nomen
Magnum de Te secururæ posteritati fecisti præsagium;
quasi jam ex infantilibus Fascijs
Purpurej in Te evolverentur Fasces,
& statim à teneris
Magni illius vestigia premeres CONSTANTINI,
sub cujus Pontificali Regimine,
Falsorum everterentur delubra Deorum,
collapsa Ecclesiarum Propilæa
è fatalibus exurgerent bustis,
& totus in pace compositus Orbis
CONSTANTINIANÆ CRUCI
captum inclinaret & Caput.
Primum Felicianum liceat Nominare
TE PRINCEPS CELSISSIME
qui
Primus publicæ felicitatis Fecialis extitisti.
Ad pedes prostrati DIVO FELICIANO
non nocuêre leones,
Tu Gothicas sic circurasti Feras,
nè
efferato amplius desævirent dente.
sic nigram ab Aquilone compescuisti Aquilam,
nè candido Poloniarum Aliti
pullum

pullum colorem adſpergeret.
Nullus
CELSISSIMO SZANIAVIANO AGNO
improperare potuit,
Agne nè turbes Aquam,
Nuſquam enim in turbido piſcari voluit,
qui in cordis Sacrario
Publicæ tranquillitatis altiſſimas volvit cogitationes.
Agnus è Benedicta INNOCENTII XI.
confectus cerâ
ſi flammas evomenti injiciatur Veſuvio,
incendia moderatur & ſiſtit.
Arſit (Proh dolor)
inteſtinis diſcordiarum Polona Reſpublica flammis!
actum fuiſſet;
niſi Benedictus SZANIAVIANUS AGNUS
è Natalibus prognatus Ceris
ultrò ſe ſuccreſcentibus in immenſum igniculis
objeciſſet.
Tibi debet
PRINCEPS CELSISSIME
quod vivat Polonia;
quam pijſſimus, in Matrem Anchiſes
proprijs humeris
ex publico incendio extuliſti.
Iaſonis Chriſtiani Nomen obtines,
qui per ſangvineum ſudorum Tuorum Helleſpontum
pluſqvam Colchicum Polonæ Libertatis vellus
in ſecurum felicitatis Portum exportaſti.
Radomienſe Tribunal ſuum Te veneratur Ariſtidem,
in quo

C sic Sa-

ſic Sacræ Themidis moderabaris libram
ut
liberam ſervares conſcientiam,
Arietem tunc egit mitiſſimus AGNUS,
exorbitantium militum vitijs
caperatam monſtrando frontem,
nè viperarum more
ſuæ rodant viſcera Matris.
Hybernalia in lance altiſſimi judicij
poſuiſti ſalaria,
nè
ullus ſine ſtipendijs
pro legibus & integritate Patriæ militaret Hector.
placuit
CELSISSIMO PRINCIPI
grata Polona militia, ſed non gratuita,
unumquemq; ſalariare voluit,
ut Aurum habentes in ſacculis,
manu audaciùs ferrum vibrarent in hoſtem.
Macedonianum ſecutus conſilium.
Auro pugna, & vinces.
Judicum 7. v. 14. Panis militum gladius Gedeonis eſt,
dum eſuriem tollit,
ſitire facit ſangvinem adverſorum.
Expoſt
PRINCEPS, CELSISSIMUS
ad Zuppas Vielicenſes
ore Regio deſignatur Commiſſarius,
ubi
inſulſa ſic benè ſalivit Officia,
nè
in Regij fraudem Theſauri ampliùs corrumperentur.
petra

petra ſalis brutis animalibus anteponitur,
ut
ex illo lambentia meliorentur,
fecit hoc,
PRINCEPS CELSISSIMUS,
ut
in meliorem ſtatum
inexhauſtum Regni Theſaurum reduxiſſet.
Sal inſigne Doctorum eſt,
Regio vivæ vocis oraculo
ad ſalſifodinas Vielicenſes
exmittitur Magni Conſilij ANGELUS SZANIAVIUS,
ac ſi
futurorum præſaga Sacra Regia præſciviſſet Majeſtas,
quòd ſit
CELSISSIMUS PRINCEPS
Cracium olim populum,
imò totum Lechiadum Orbem
verbo Paſtorali docturus
&
Salutari probatiſſimæ vitæ firmaturus exemplo.
Prima CELSISSIMO PRINCIPI
in
Collegio Varſavienſi Scholarum Piarum
ſtudiorum humaniorum obtigêre ſtativa.
cauſam inquiritis!
propè Thronum Regium educatur Alumnus,
quia
futurus erat intimus
Regiæ Majeſtatis Conſiliarius,
à
cujus ore non humilis Cyrrha

ſed
aureus fluxiſſe Tagus videbatur.
IOSEPHI CALLASANTII
Palladijs Nomen dedit Caſtris,
ut veteris Teſtamenti expreſſiſſet Ioſephum,
voce populi
Salvator Orbis Poloni nuncupandus.
ſed
non diu tam vaſtam ingenij molem
Varſavienſes poterant detinere camenæ,
abblandiebantur quidem illius Civitatis Syrenes,
quatenus
CELSISSIMI, PRINCIPIS
procraſtinarent regreſſum,
aſt
Peritiſſimum invenêre Vlyſſem,
qui lenocinia verborum obtusâ pertranſiit aure,
altius bonæ ſpei aſpirans Promontorium.
Itaq;
ad Iagellonicum Sereniſſimi Vladislai IV.
Poloniarum Regis Inviƈtiſſimi
in Cracia Academo
Se transfert manipulum,
ut ſic
ſub Regalibus Sceptris
maturum Sacræ Regiæ Majeſtatis
SERENISSIMI AUGUSTI II
primæ admiſſionis ſubieƈtum adoleſceret.
E
Sacro D. Iagellonis Manipulo
altiorum ſcientiarum depromit granum

Syren Stemma Varſav.

quia

quia ſpectare debuit
ad Sereniſſimorum Regum Granarium,
& Cracium Epiſcoporum Seminariũ Cathedrale.
Ligatum manipulum
D. Iagellonis veneratus eſt
PRINCEPS CELSISSIMUS,
quia
Diſſolutam & ſuo Capiti non unitam,
Nuſquam amavit Rempublicam.
Hîc
Majoribus ſcientiarum auctus incrementis,
ad Caſtrum Vilnenſe invitatur
PRINCEPS CELSISSIMUS,
claudite Portam Gentilitiam
Urbis Metropolitanæ Nobiliſſimi Senatores!
ármatum in Porta habetis militem,
cuſtodite,
nè pretioſum Orbis Cracij clenodium
amittatis SZANIAVIUM.
verùm
(pace veſtrâ dixerim)
in Caſtro Vilnenſi tantum Ingenium
cuſtodiri debuit
nè non Urbi Craciæ tantùm
ſed
Toti Lechiadum eriperetur Orbi.
Ibidem
Notarij Publici fungitur Officio,
ſinè nota.
Aliorum calami non atramentum bibunt,
ſed ſangvinem,

ſangviſugæ potiùs nuncupandi.
PRINCEPS CELSISSIMUS
Scriptoriam ſic delicatè arripuit pennam,
ut ea non pungeret,
ſed
in publicam Magni Ducatûs Lithuaniæ
evolaret utilitatem.
Brevi ejuſdem Ducatûs Cancellariæ Regens,
Faſtos illius,
intra cancellos modeſtiæ
rexit, ſinè faſtu.
Sic gradatim ad Majora proceſſit,
PRINCEPS CELSISSIMUS
Turpe exiſtimans
fungorum more unâ nocte vitalitate fungi,
& defungi,
Priùs in Novilunio Cynthia,
antequam
Supremam Plenilunij conſcenderit Augem.
Deus T. O. M. ab initio
Geneſi 1. v. 10. *congregationes aquarum appellavit Maria,*
quaſi
à minoribus alveis incæpiſſet mare,
ut vocaretur immenſum.
Nec Nilus totam irrigaſſet Ægyptum
niſi
quaſi nihilum fuiſſet ab exordio.
Sic PRINCEPS CELSISSIMUS
altiſſimis Honorum ſubſellijs
ſublimandus
in oriente minoris Fortunæ
coruſcare voluit,

ut

ut
meridianam immortalis gloriæ Appiam
conseqveretur.
Dùm
Referendarij M. D. L. fungeretur officio,
ab ore illius
tota Nominati Ducatûs
pependit felicitas.
Nusqvam fulminavit à Throno,
quia IUNOSZA est,
Vellus aureum portans,
non fulgura.
Fabulosum detestatus Iovem,
qui
semper armans ignito fulmine dextram,
rarò
contextos lanâ fertur habere pedes.
in ore Ambrosij examen apum
dicitur consedisse,
in ore Referendarij Nostri
dulcissima mellificavit Hybla;
ita
ut in omni vivæ vocis oraculo
Claravallensem fuerit imitatus apiculam.
Sed
quid moraris
PRINCEPS CELSISSIME!
Cathedrales jam Te exposcunt Ecclesiæ,
nec se Beatas existimant,
quin faciali AGNI SZANIAVIANI
fruantur visione.

Varmienſis & Vilnenſis Canonicatus
orbatos ſe ſentiunt,
quorum niſi pupillares
egeris partes,
actum eſt.
Apprehendit vtrumq́;
PRINCEPS CELSISSIMUS,
ſi enim
uni ſe tantùm obtuliſſet Cathedræ,
injuriaſſet alteram.
Principum enim connaturale eſt,
ut qui
ad commune orbis efformantur ſolatium,
toti ſerviant Vniverſo.
Angelorum vice funguntur in terris
qui
duplicem ſimul & ſemel occupant locum,
nè unam partem orbis gyrando
motricium Intelligentiarum
Nomen amittant.
Ex duplici Cathedra
detonat in vitia *Chriſtianus Pericles*
CELSISSIMUS PRINCEPS,
ergo!
Okolſki in Stemmate Iunoſzá fol: 356.
Hæreſiarcha procul, ſi non Eccleſia, cornu
Te premet intrepidus PRÆSVLIS AGNVS, abi.
Non verba ſed fulmina vibravit in ſectarios,
unicum in Præcordijs habens,
ut
ad orthodoxum Chriſti ovile
Gentilitium ſuum ſeqverentur Agnum.
In ſacris exedris

Sæculi

Sæculi noſtri Chryſologus,
nervoſis argumentorum telis
obſtinata Acatholicorum corda
ita convicit,
ut ſuâ ſpontê
vinctas toties dederint in vincula dextras,
intellectum ſuum alioqvin pertinacem,
in obſequium Fidei captivantes.
Æſtimavit
Pretioſiores gemmis animi *Tui* dotes
PRINCEPS CELSISSIME
SERENISSIMUS AUGUSTUS II,
Rex Poloniarum Inuictiſſimus, &c.
& dum propiùs
ex altiſſima Regalis Maieſtatis ſpecula
aſpectu placidiſſimo inſpexit SZANIAVIUM,
vidit omnibus Infulis parem
decrevit ſingulis altiorem. ;
Itaq;
Supremus in terris Iuſtitiæ Diſtributivæ
Adminiſter,
non eſt paſſus
lucernam latere ſub modio,
poſuit AGNUM SZANIAVIANUM
in
elevato Epiſcopatûs Cujavienſis
& Pomeraniæ candelabro,
ut ſic
CELSISSIMUS PRINCEPS
radiante Nativæ ſcientiæ Phæbo
noctivagos ad ſua ſpelæa

 compel-

compelleret Lycaones.
Bifidâ Pontificiâ Infulâ
coronavit Caput aureum,
quaſi
cornuto dilemate
Præſuleum armando cerebrum,
quo aſtus eluderet Diſſidentium.
Paſtorali Pedo inſignivit dexteram,
ut
AGNI SZANIAVIANI
firmaret pedem,
quo altiora ſubſellia Regni
ſecurus adiret.
Secunda Infula
licet
prima SZANIAVIANUM
attigit verticem,
ut reliquis acceſſum à PRINCIPE impetraret.
Et certè
dum primâ *Pontificius vertex*
coronatur *vittâ,*
Bella ſecum altiores movent INFVLÆ,
quælibet Pontificium CAPVT coronare peroptat,
nulla audet:
in tantum enim ſua merita extulit,
ut
omnium excederet menſuram *Infularum.*
Ambiunt Te Tiaræ
PRINCEPS CELSISSIME,
quibus
nondum Auguſtam frontem ſubmiſiſti;

Scipi-

Scipiones ultrò se ingerunt,
quibus Affricano major Scipione
labentem fulcias Patriam.
Acriùs
cruento certamine dimicant Curules Senatorij,
sangvinem fundunt;
pro AGNO SZANIAVIANO
ut eidem
Purpuram adaptent altiorem.
ita est,
ut si Te dividere vellent Diæceses,
nec singula membra tot forent,
à quibus invitaris.
verùm
Sacrum hoc INFULARUM jurgium
in Honoris Deastro exortum,
Albano Pontificia
CLEMENTIS XI.
Pontificis Maximi
diremit STELLA,
omnibus violentèr ereptum Mytris
ad
Thronum Peraugusti Capituli Cracoviensis,
terno diademate coronatum
ducit SZANIAVIUM.
Ponit Celsissimum Agnum,
in summitate Vavelli,
de sub cuius Præsuleo Pede & Pedo
fons vivus aquæ salientis in omnes
emanaret.
Macte animo Cracovia!

dum

dum
CELSISSIMI PRINCIPIS AGNUM
Albano Pontificium ingreditur ſidus,
Vrbium Polonarum Principi Craciæ,
poſt turbulentas bellorum tempeſtates
tranquillam pollicetur malaciam.
Felix conſtellatio
quâ
communis amor columenq́, Poloni
Orbis, adeſt cum ſole novo cum grandibus aſtris
ANTISTES, *qualem Craciæ longæva vetuſtas*
Invideat, ſimilemq́, ſeqvens dare neſciat ætas.
Orientales Magi Duce Stellâ
ad Bethleemiticum Agni Immaculati
INCARNATI VERBI perducti Thronum,
facti ſunt aurei velleris Principes,
quia Divinæ gratiæ portitores;
Duce Albano Pontificio ſidere
Celſiſſimus SZANIAVIUS AGNUS
in
Throno Coronarum ſubſiſtens,
Aûreum Pontificiæ Gratiæ vellus
ſingulis appromittit.
Thronus adeſt,
putasnè quòd deſint
Cantic: 3. v. 7. *qui coronatum Salomonis Lechici lectulum*
circumſtent Dinaſtæ ?
erras.
vallant terni ALBANO PONTIFICII MONTES
Agni SZANIAVIANI Faldiſtorium
quibus rebelles Deo, & Eccleſiæ
ſubij-

ſubijciat mentes,
&
Enceladum more cælum oppugnantes *Iovinianos*
compeſcat & expugnet.
Cantic: 3. v. 7. *Sexaginta fortes ex fortiſſimis Iſrael*
ambiebant Thronum Sapientis.
Præſuleo Agni SZANIAVIANI Throno
Sufficit pro millibus unus
SERENISSIMUS AUGUSTUS II,
qui duplicem ſtringit acinacem,
ut Thronum
CELSISSIMI PRINCIPIS
tueatur & protegat ab adverſis.
Audaces (eſto D. STANISLAI Succeſſor)
nè timeas Geriones
PRINCEPS CELSISSIME,
barbarico Sangvine ebrij
feliciſſimè Regnantis mucrones,
Fatorum arcebunt injurias,
nè mori Patriæ poſſis,
cui non ita pridem vitales ſpiritus inſufflaſti.
Adſunt præſtò
& Illuſtriſſimi, Perilluſtres, ac Reverendiſſimi
Domini,
Coronati Vavelli
Primicerij, Canonici, & Prælati,
Apocal: 4. v. 10 *qui mittunt Coronas ſuas ante Thronum,*
animis geſtientes,
quòd
poſt Łubienianum Biſontis Caput
Caput Agni SZANIAVIANI invenerint,

Augustum Coronarum suarum Capitolium,
in quo repositæ,
Pulchriùs in Lechico sua pandent lumina cælo.
Tacere piaculum est,
duo primæ Magnitudinis Sidera
Illustrissimum & Reverendissimum Dominum,
Regni Secretarium,
Vilnensem, Lanciciensem Canonicum,
Trocensem Præpositum,
Illustrissimum & Reverendissimum Dominum,
Leopoliensis Cathedræ Suffraganeum
Fratres Tuos PRINCEPS CELSISSIME
qui grandibus in Patriam cumulati meritis,
Throni Tui Ducalis adornant Majestatem.
Gemmæ sunt
in pretioso Sangvinis SZANIAVIANI
prognatæ Tago,
idcirco Coronæ Regiæ intimiùs admoventur.
Unde brevi Domus hæc Tota Senatus erit.
Assistit immortalis Gloriæ Tuæ Stallo
Antistes Clementissime,
Illustrissimus SZANIAVIUS Castellanus
Lublinensis,
qui Tauricanæ obex invidiæ
Castellum in pectore erigit Patriæ
inexpugnabile,
ut Christianitatis antemurale dici mereatur.
Rubet Senatorio murice, sed non erubescit,
ita
premens Togatæ dignitatis Curulem,
ut sit

inde-

indefessus Reipublicæ Stator
pro integritate illius stando, & certando.
Lubet adhuc
ad Triùmphalem Tuæ inaugurationis pompam
PRINCEPS CELSISSIME
à
Capite Vrbis & orbis revocare
Illustrissimos ex Fratre Nepotes SZANIAVIOS,
Duo sunt, IOSAPHAT & FABIANUS,
atq; adeo
cælestes Gemini nuncupandi;
qui Patrio restituti solo
si soli Lechico cesserint in horoscopum,
Aurea spondebunt afflicto sæcula mundo.
In
Supremo Vrbis meridie maturescunt,
ad Primas Regni Curules destinati,
à quibus in Patria
Nullus erit, qui non exuperetur apex.
Sacra Divorum Petri & Pauli Apostolorum
exosculantur *Limina,*
ut à Primo
impetrent Benedictas Claves
ad Peraugustum Honoris Sacrarium,
à secundo,
gladium exportent in Patriam,
quo
faciliùs & feliciùs Gordios difficultatum nodos
dissecando,
Novi Lechiadum Orbis Macedones,
Vas electionis,
seu veriùs Electorum, & eligendorum

 ad om-

ad omnia Regni faſtigia
poſſint nominari.
Remi & Romuli viſitant cunabula,
à quibus olim
Romani primo maduerunt ſangvine muri;
à Tuis
PRINCEPS CELSISSIME
Illuſtriſſimis in Limine Regni ſalutandis
Nepotibus
Tyrio pluſquàm colore rubeſcent Stalla Senatorum,
&
Hæreditarium Togæ acquirent Purpuriſmum.
Nonnulli exteras inviſendo plagas,
cauteriatas indoles
ad Domeſticos reportant Penates,
Illuſtriſſimi SZANIAVII
ſic orbes luſtrant alienos, ut illuſtrent.
Sic clima peregrinum incolunt, ut ſint ſinè lima.
Caſtis innocentiæ lilijs enutritus
SZANIAVIUS AGNUS
pellem alienis non mutavit in oris,
intùs & extra nativum candorem præferendo
illorum pravam Geneſim deteſtatus,
in quibus,
Pelle ſub agnina latitat mens ſæpè lupina.
Stupuit Univerſi Metropolis Roma
Delicatam SZANIAVIORUM Iuventam
nullis difflui voluptatum crepundijs
qui velut Pretioſiſſimi arrhabones
Apoſtolicam Genti ſuæ deſponſarunt benedictionem.

Et jam fausto omine
Delicium populi, deliciumq; poli
PRINCEPS CELSISSIME
conscende Coronatum Vavelli *Thronum*,
nec pupillos desere,
qui longo Tuæ præsentiæ emacerati desiderio
pupillas solvunt in lachrymas,
non nisi
desideratissimo Tui in Cathedram Cracoviensem Ingressu
plenâ solatij publici Spongiâ abstergendas.
Non sic Virginibus flores, non fruibus imbres, Claudianus.
Prospera non lassis optantur flumina Nautis,
ut Tuus aspectus populo.
qui tunc primò se existimabit beatum,
cùm faciali Sui Dignissimi Præsulis fruetur visione:
& illa illucescet Craciæ Metropoli dies,
quæ nusquam novit occasum.
Accedunt *ad Thronum Peraugusti Nominis Tui*
pauperes & egeni,
quorum cùm sublevaveris egestatem,
elevabitur Superûm manibus *Thronus Tuus Episcopalis*
usq; ad septicollis Vrbis & Orbis fastigia.
Postremò
procumbit ante *Thronum* Gratiæ Tuæ
Sanctuarium Nostrum Marianum
Hæreditarium Illustrissimæ Domus Tuæ
Oratorium,
ut meliùs
à solio Tuo ex sui etymo Clarum inclarescat.
In Pathmos Insula
Mare vidit vitreum Apocalypticus videns;
hocce Marianum Admirabilis Matris Propognaculum
G Tuo

Tuo ſe ſiſtit obtutui,

PRINCEPS CELSISSIME

vitreum eſt!

ſed *ſui* favore *Artiſtitis* fiet adamantinum,

nullis adverſitatum baliſtis ſubmovendum.

Lambunt veſtigia pedum Tuorum

bini Leones in Thebæa enutriti Eremo

quos ſi per bis ſex multiplicare volveris,

Lechici Salomonis Thronum efficient ambiendo.

cui Paulina flexo poplite ſe inclinat Palma,

purpureo Tuo premi exoptans calcaneo,

ut altiùs depreſſá reſurgat.

